

DISSERTATIONIS THEOLOGICÆ

DE JUSTO EX FIDE VIVENTE

Rom. I: 17, Gal. III: 11, Hebr. X: 38,  
Coll. Habac. II: 4.

PARS PRIOR EXEGETICA,

QUAM

EX SPECIALI S. IMP. MAJ: TIS GRATIOSISS. VENIA;

CONS. MAX. REV. FACULT. THEOL. AB.

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

MAG. CAROLUS JAC. A TENGSTRÖM,

L. L. O. O. Adjunctus Ordinarius,

RESPONDENTE FRATRE

ANTONIO FREDR. A TENGSTRÖM,

*Ostrobotniens.*

In Audit. Theol. die XIV Nov, MDCCCXVIII.

H. a. m. f.

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS

1911-1912

CHICAGO, ILL.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1911

DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS

1911-1912

CHICAGO, ILL.

DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS

1911-1912

CHICAGO, ILL.

DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS

1911-1912

DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS

1911-1912



*Prooemium.*

**Q**ui attento animo pariter ac diligenti manu Pandectas Sacras Novi Testamenti versaverit, facili negotio, sive ad formam earum sive materiam respexerit, mutuum illum & intimum observabit nexum, qui illas inter & Scripta Veteris Testamenti intercedit. Nam non modo filius utriusque Codicis, auctoribus saltem plerisque, communis, simillimus & idem fere est, diversa quamvis utantur lingua, verum & cogitata & dogmata, quæ de Deo ejusque operibus, providentia & consiliis, de vitiis & virtutibus, de officiis &c. proponunt antiquiores illi populi Judaici Scriptores, maximam partem eadem apud Auctores Novi Testamenti occurrunt, perfectiore licet Dei præceptorumque moralium cognitione, e schola nempe disciplinaque Christi egressi, emineant. Cujus nexus & harmoniæ potissima causa in eo in primis est quærenda, quod Scriptores Sacri utriusque Testamenti Judæi fuerint, gentis suæ religione, sapientia, quin imo opinionibus popularibus a pueritia inde imbuti; præterquam quod facile pateat, Evangelistas & Apostolos multis locis studio & fere anxie, in doctrinis suis proponendis, Veteris Testamenti loquendi & scribendi rationem sectatos fuisse.

Hinc itaque citationes effatorum Veteris Testamenti in Novo frequenter adeo obviæ ortum ducunt; quas inter præcipuam attentionem merentur quæ *Vaticiniorum* de Christo regnoque ejus spirituali nomine veniunt, quarum quidem Divinam fidem & auctoritatem nemo verus Christianus unquam in dubium vocabit, cum potius in firmisissimis Religio- nis nostræ Divinæ fundamentis habenda sint (\*).

Quod

---

\*) Multi quidem fuerunt, & adhuc sunt, qui, argumentis variis speciosis inducti, probare studuerunt, Vaticinia proprie sic dicta de Christo & redemptione generis humani per ipsum peragenda, in Veteri Testamento non occurrere, quos inter exempli loco afferre lubet Cel. J. C. R. ECKERMAN, qui in *Theol. Beyträge, Ersten Bandes, 1:is Styck, 2:te Auflage* Præfat. pag. 12 seqq. expressis verbis urget: *Nach meiner Ueberzeugung, enthält das A. Testament . . . keine eigentl. Weissagungen von unserm Erlöser Jesus Christus; keine eigentl. auf Ihn sich beziehenden Beschreibungen seiner Person, seiner Bestimmung, seines Lebens, seines Leidens, seiner Aufopferung und seiner Auferstehung und Erhöhung zu der Würde des Stiffters des Reiches Gottes, und der durch Ihn von Gott den Menschen geschenkten Wolthaten. Alle Beschreibungen des Messias und der Messianischen Zeit, welche die Propheten gegeben haben, sind Beschreibungen eines irdischen Königs aus der familie Davids und eines irdischen Reiches der Israëliten, mit welchen sich einß die übrigen Völker der Erde in der Verehrung Jehovens nach dem Gesetze Moses und der Lehre der spätern Propheten vereinigen würden. — Ich gründe folglich den Beweis, daßs Jesus der Messias ist, nicht vornemlich aufs A. Testament; sondern weit sicherer und untrüglich gewiß auf die eigene Versicherung unser Göttlichen Erlösers, die von den Aposteln überall wiederholt worden ist; auf die Versicherung, daß er derjenige sey, auf den durch die Messianischen Erwartungen und Hoffnungen im A. T., ja durch die ganze Mosaische und ältere Israëlitische Religionsverfassung vorbereitet worden &c. His vero non est ut diutius immoremur, cum & antiquiores multi & recentiores Ecclesie nostræ Doctores ejusmodi Hypotheses dudum exploserint, refutaverint.*

Quod vero ad citata Veteris Testamenti loca in genere attinet, fatendum illa sæpe allata esse vel ad rem quandam historica ratione illustrandam, vel etiam luminum & imaginum instar ad materiam tractandam eo vividioribus coloribus depingendam; quare & ejusmodi loca in V. Testamento alio sæpius obveniunt sensu, si contextum accuratius consideres, ac a Novi Testamenti Scriptoribus adhibita sunt; unde varii Interpretes ansam sumserunt multis dubiis Scriptores N. Testamenti acerbius vexandi, quod scilicet his suis citationibus mancam adeo prodiderint Veteris Testamenti cognitionem, ut pro Vaticiniis habuerint effata, Christum ejusque munera nullo modo spectantia. Quid! quod aperti Religionis Christianæ adversarii hinc ausi sint statuere, Jesum Apostolosque, cum V. Testamentum male intellexerint, lubrica quoque novæ suæ Religionis posuisse principia, cum documenta ad illam illustrandam & demonstrandam prolata rem ipsam haud tangere nonnunquam videantur. Hæc vero iniquius & ambitiosius auctoritati Divæ nostræ Religionis opposita quo paucis refellamus, observare oportet, male quidem & imprudenter agere Interpretes, Auctorum N. Testamenti Veteris illius exponendi rationem ad regulas Philosophicas & exegeticas nostro demum ævo constitutas & probatas æstimantes, cum tamen omnibus constet N. Testamenti Scriptores, aliis plane temporibus, aliisque quam nostris innutritos principiis hermeneuticis, scripta sua exarasse. In populo scilicet suis pertinaciter inhærente & aservo institutis legibusque, non solum præcepta morum & officiorum illis, quæ olim in honore fuerunt, multo puriora docebant, verum etiam novam in lucem proferebant Religionem, ab aliis tum cognitis Religionibus valde diversam. Præterea nova hæc Religio, omnia commoda vitæ voluptatesque sensuales nec non inanem legis ceremonialis, quæ in primis Judæis placuit, observantiam tollens & nihili æstimans, omni certe apud gentem Judaicam caruisset successu, nisi Evangelistæ & Apostoli ad methodum docendi

docendi Doctorum Judaicorum; quæ scilicet maximam partem effatis Veteris Testamenti quavis occasione pro lubitu citandis efficiebatur, sese accommodassent. Tanti enim Codicem V. Testamenti Judæi æstimabant, tantaque ipsum colebant religione, ut omnia quæ auctoritate quadam apud ipsos valerent, dictis & effatis V. Testamenti probanda essent; quanto magis si Divinam originem præ se ferrent. Minime igitur mirum, Christum Apostolosque ejus, Divinitus quamvis missos, ne vel minimam suspensionem fraudis vel saltim novitatis excitarent, sicque ipsi omnia consilia sua presumdarent, sese ad captum moresque popularium demississe, methodumque docendi apud ipsos usitatisimam secutos, verba V. Testamenti, proprio eorum sensui haud anxie inhærentes, si modo quandam præ se ferrent cum re proponenda cognationem s. similitudinem, citasse; nullo alio enim modo apud populum ritibus atque consuetudinibus suis antiquitus receptis pertinaciter inhærentem, persuasionem de veritate & excellentia doctrinæ suæ excitare & fovere potuissent. Qui scripta Patrum Ecclesiæ antiquioris accurate perlustraverit, facile quoque videbit, eandem docendi methodum etiam diu post tempora Apostolorum locum obtinuisse; sicque formam institutionis Christianæ hodiernam non nisi paulatim succedentibus sæculis introductam & approbatam fuisse.

Inter perplurima hujusmodi in Pandectis N. Testamenti obviarum accommodationum specimina, cum memorabile præprimis nobis visum sit effatum Prophetæ HABACUCI Cap. II: 4  
הנה עמלה לא ישרה נפשו בר צרוק באמונתו יחיה ab Ap. PAULO ter in N. Testamento, nec tamen eodem ubique sensu allatum, specimen quoddam Theologicum edituri, hæc potissimum Sacræ Scripturæ loca enodanda arripuimus, e quibus attente pensatis & examinatis doctrinam gravissimam de *Justificatione hominis peccatoris coram Deo* postmodum eruere, & Exegeti nostræ, bona lectorum nostrorum venia, subnectere conabimur.

§. 1.

§. 1.

Quæ jam breviter de Apostolis, eorumque Rel. Christianæ proponendæ ratione observavimus, in primis de Apostolo PAULO valent, cujus scil. Scripta, & inter hæc Epistola ejus ad Ecclesiam Romanam præcipue, semper & ubique pro fonte primario confessionis Christianæ habita sunt. Urget nempe in hac in primis, immunitatem a culpa & pœna nobis per Evangelium offerri, & unice per fidem in Christum nobis revera contingere, frequens simul in disputando adversus opinionem Judæorum vulgarem, sola obedientia legi Mosaicæ præstita Deum peccatori reconciliari posse; quam suam de falsivica fide doctrinam variis V. Testamenti allegatis effatis & confirmat & egregie adeo illustrat, ut excellentius vix a quocunque alio, pro captu horum temporum, tractari potuisset disciplina nova & antea inaudita, plurimisque certe ejus ævi hominibus intellectu valde difficilis. Luculentissimis namque probat argumentis, omnes homines sine exceptione, Judæos æque ac paganos, esse peccati & culpæ & poënis obnoxios, attamen compotes fieri posse salutis per Christum comparatæ, Deumque in salute hominibus impertienda nullum habere respectum personæ, sed omnibus æqua lance sive bona sive mala retribuere. Quæ doctrina, quamvis in se vera & solidissima, apud Judæos tamen multa egebat demonstratione. In V. Testamento enim jam ab antiquissimis retro temporibus, Judæi, populum constituentem a Deo ipso sibi peculiis instar electum, & e cujus medio Salvator mundi olim exurgeret, צדקים, ישרי לב, δικαιοι, h. e. *Justi*, *Dei dilecti cultores* vocabantur, Pagani vero s. Ethnici e contrario חטאים, רשעים, ασεβεις, αμαρτωλοι, ελθροι του θεου, *Injusti*, *peccatores* dici solebant; (haud aliter ac Græcis & Romanis olim solemne erat reliquos orbis terrarum incolas *barbaros* dicere). PAULUS igitur Judæos, ob corruptos & depravatos eorum mores prærogativis & beneficiis, quibus Deus eos dudum cumu-

cumulaverat, indignos pronuncians, eos Ethnicis non solum æquiparat, sed & in multis ipsis deteriores esse ostendit, adeoque *εχθρὸς τῶ θεῷ & ἀμαρτωλὸς*, iisdemque eos opus habere salutis comparandæ adminiculis, ac Ethnicis, quos alto adeo supercilio contemnebant, fide nempe in Christum, indeque proficifcente vitæ voluntatisque emendatione.

Inter varia illa effata, quibus hanc suam doctrinam de Justificatione hominis peccatoris coram Deo S. PAULUS proponit, principem sibi merito vindicat locum Rom. I: 17 ubi, collato HABAC. II: 4, de *Iusto e Fide vivente* (ὁ δὲ δικαίος ἐκ πίστεως ζήσεται) loquitur, quæ quidem verba Prophetæ veteris Apostolo adeo placuerunt, ut illa non solum loco citato, verum etiam duobus aliis locis, scil. Ep. ad Galatas C. III: 11 & ad Hebræos C. X: 38 (\*) repetierit, & duobus prioribus in primis locis, in salutis nostræ oeconomia exponenda emphatica omnino dictione adhibuerit; quæ, quo clarius appareant, brevem citati dicti Habacuciani analyfin præmittere lubet.

§. 2.

Maximo mœrore affectus, intimoque ob mala populo Judaico ab hoste Chaldæo inflicta commotus dolore, HABACUC, in Capite Vaticinii sui primo, Dei contra violentiam hostis sævi & atrocis, omnia sacra atque profana audacter miscentis, opem implorat. Vividis sic coloribus insolentia hostis depicta, Deus aures Vatis tandem quasi advertens precibus, finem malorum Cap. II, oraculo vv. 5 seqq. exposito, promittit, omnes-

---

\*) Nonnulli quidem Interpretes Epistolæ ad Hebræos alium ejus venditant Auctorem. Cum vero longe plurimi PAULUM optimo jure illius Scriptorem agnoscant, nos neque dubitavimus eidem sententiæ album adjicere calculum.



omnesque Chaldæorum injurias, aliis gentibus illatas, in ipsos auctores tandem relapsuras minatur. Si vero forte accideret, ut eventus his minis statim non responderet (v. 3), Deus v. 4 pronunciat: illum qui de veritate oraculi dubitet, auxiliumque promissum utpote vanum & irritum respuat, Dei numquam fruiturum gratia & præsidio; cum e contrario qui in promissis Divinis fiduciam poneret & justitiam sectaretur, semper felix foret; vel ut verba Vatis in textu Hebræo sonant: הנה עפלה לא ישרה נפשו בר וצדיק באמונתו ויהיה h. e. *Ecce qui incredulus est, eo ipso (scil. oraculo) non erit felix; justus vero in (v. e) fide sua (i. propter fidem suam) vivet.* Et quamvis in verbis hisce declarandis vario admodum modo Philologi versati sint, lubricas mittentes explicationes, illam, quam nostra versione exprimere conati sumus, præ aliis sensum præbere idoneum arbitramur. Nam עפלה coll. Arab.

غفل in genere significat: *socors, negligens fuit*, iu qua significatione etiam verbum hocce Arabicum in Corano pluries, e. g. Sur. IV: 101. XVIII: 29, multisque aliis locis occurrit, & quidem sæpissime de illis qui Deum non curant, adhibetur. Voci igitur עפלה (\*) 3 pers. scem. Sing. Præt. Py. in textu nostro obveniendi subintellecta נפשו *anima ejus*, per ellipsin nempe omissa, sensus verborum הנה עפלה hic erit: *Ecce cujus (\*\*)* *anima Dei negligens est, & in promissis ejus non acquiescit, illius inquam anima hocce (scil. oraculo, v. בר) non*

non

\*) Haud videtur opus esse, cum G. L. BAUER in Schelliis V. Testamenti Cel. J. C. F. SCHULZII continuatis, h. l. pro עפלה lege-  
re עפלה 3 p. scem. sing. Præt. Kal. cum eodem jure dici possit:  
*anima quæ socors facta fuit ac quæ socors est.*

\*\*) Hæc subintelligendum אשר, quasi fuisset: הנה אשר עפלה נפשו, constructione lingvæ Hebræicæ admodum familiari,

*non erit felix.* עפלה נפשו sub elliptice prætermisum, heic ad ambiguitatem evitandam apponitur, cum sic clarius intelligi possit cui subjecto respondeat verbum ישרה; quam vocem per *felix erit* transtulimus. Nam Arabum *فليس*, quod exacte verbo respondet Hebræo, in genere denotat *felix fuit*, neque ut aliis placuit, notione *rectus fuit*, nisi in paucis admodum exemplis, occurrit (\*). Confirmatur præter ea notio a nobis recepta, non tantum ex Arabismo, verum etiam ex nomine cognato אשר, *felicitas, beatitudo*, quod quidem in scriptis V. Testamenti pluribus obvenit locis; quem sensum ante omnia & ipse contextus requirit, qui expresse testatur ישרה cum particula לא conjunctum heic oppositum esse יחיה in posteriore hemistichio; cujus quidem verba באמונתו יחיה multi Interpretes per: *e contrario Justus e* (vel *in fide sua vivet*, quo sensu & nos verba Vatis accipienda putamus, transtulerunt. Observandum nempe est, Prophetam h. l. de justo Dei cultore, contemptori illius opposito, loqui, quare etiam vis particulæ ו, ante צדיק collocatæ, recte per *e contrario* expressa videtur, in primis cum significatio ejusdem particulæ in lingua tam Hebræa quam Arabica adeo sit indefinita, ut fere semper varie, & prout requirat contextus, explicari possit. Reliqua vero posterioris hemistichii verba: *Justus in fide sua vivet*, indicant quanto felicioris statu fruatur ille, qui in Deo solo fiduciam suam (אמונתו) (\*\*\*) ponit, quam qui vacillante & incredulo erga Deum fertur animo, persuasum enim sibi habet Deum omnia in meliorem denique con-

\*) Pertinaciter tamen illis haud refragabimur, qui voces ישרה לא per non *recta* (scil. anima) est transferunt, cum scil. verbum ישרה secundum Hebraismum etiam significet *rectus fuit*. Hac nempe vel illa notione recepta, sensus verborum Textus idem fere manet.

\*\*) Proprie *Firmitatem suam*; h. l. vero *Fidem* denotat, Deo vere ejusque promissionibus habitam.

conversurum esse partem. Verbum nempe היה sæpissime in V. Testamento, ut Syrorum **ܡܒܐ** & Arabum **حي** in Corano pro *felicitate frui* obvenire vix est quod moneamus (\*).

§. 3.

Insignem huncce locum HABACUCI, jam egregie omnino, & rei quidem quam maxime accomodate, Apostolus PAULUS in doctrina palmaria s. fundamentali Religionis Christianæ de

B

Fide

\*) Cel. E. F. C. ROSENMÜLLER in Scholiis ad hunc locum, verba Prophetæ plane alio accipit sensu, verbum **4:um** sic vertens: *Ecce tumidus, minime modestus illi est animus; sed sincere pius vivet*, verba prioris hemistichii ad Chaldæos, posterioris vero **ܐܕܝܢ ܐܝܢܐ** ad Judæos referens. Sed si & verbum **עפל** ex Arab. **عفل** significare posset *tumere, intumescere* (quam significationem tamen vix amplectendam putamus, cum alter locus, Num. XIV: 44, ubi hocce verbum in S. Codice V. Testamenti occurrit, a ROSENMÜLLER citatus, illam indubiam haud reddat); huic tamen loco haud bene convenire videtur; Vox enim **הנה**, qua comma hocce incipit, pluribus V. Testamenti locis, secundum genium vernaculæ nostræ lingvæ, plerumque superflua, expresse h. l. internum ejus cum antecedente indicat nexum, unde satis patet, ipsum Vaticinium vv. 5 seq. continuatum, hic admonitione & exhortatione ad fiduciam in Deo ponendam incipere; ut nil dicam de versionibus antiquis, I. XX: *εαν ὑποστειληται, εα ευδοκει η̄ ψυχη̄ μη̄ εν̄ αυτω̄*, Vulg. inprimis: *Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso*, Arab. **وان ضجر لم ييسر نفسي به** Syr. **ܐܢ ܪܫܥܝܢܐ ܐܡܪܝܢ** & Paraphr. Chald. **ܐܢ ܪܫܥܝܢܐ ܐܡܪܝܢ**, quæ diverso quamvis modo locum huncce reddant, explicationi tamen nostræ potissimum favent.

*Fide salvifica* proponenda adhibet, quam quidem præcipue tractat in Epistola ad Romanos pretiosissima, summam quasi hujus doctrinæ continente, in cujus Cap. I: 17, sententiam commate præcedente allatam, Evangelium scil. vi Divina esse præditum, omnibus tam Judæis quam Paganis credentibus salutem impertiendi, lætissimam doctrinam, hisce verbis ulterius proponit & amplificat: *Δικαιοσύνη γὰρ Θεὸς ἐν αὐτῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, καὶ ὡς γεγραπται: ὁ δὲ δικαῖος ἐκ πίστεως ζήσεται.* h. e. *Justitia a Deo expectanda* (s. absolutio & remissio peccatorum, quam unice per fidem in Christum consequimur) *in illo* (scil. Evangelio v. 16) *eum in finem est revelata ut credatur* (per fidem accipiatur), *quemadmodum scriptum est: Justus e fide sua vivet*, vel si mavis: *qui ex fide justificatus est vivet* s. *felix erit* (\*), quam posteriorem interpretandi rationem suam quoque fecit recentissima Metaphrasis Svecana N. Testamenti, locum nostrum sic exprimens: *Den som af Tron rättfärdigad är, skall salighet ernå*, iterumque Gal. III: 11 & Hebr. X: 38: *Den som af Tron rättfärdig är, Han skall lefva.* Nam *δικαιοσύνη Θεοῦ* h. l. est idem ac *δύναμις Θεοῦ ἐξ ἰσχυροῦ* in versu præcedente, h. e. *Justitia*, quam Deus largitur, absolute nempè a peccatis concessa, s. *quæ in Deo & a Deo peragitur.* Jam vero *δικαιοσύνην (Θεοῦ)* ad verba *ἐκ πίστεως* referentes (conf. Rom. IX: 30), secundum vulgarem vocum significationem, quam potissimum sequendam putavimus, hic esse videtur sensus verborum allatorum: *Remissio peccatorum a Deo promissa, quam per fidem consequimur, in Evangelio revelata est, eum in finem ut illi credatur.* Qua adhibita interpretatione, nec cum

KOPPIO

---

\*) Pendet nempè utraq; hæc interpretatio, e vario modo verba *ἐκ πίστεως* construendi, utrum scil. ad *δικαῖος* vel ad *ζήσεται* referantur. Sensu manente eodem, prior tamen explicatio nobis præferenda videtur.

KOPPIO in Annot. ad hunc locum (\*) verba *ἐκ πίστεως ἐς πίστιν* heic esse synonyma & ad rem solummodo confirmandam repetita, ut sensus esset: *nulli alii rei nisi fidei* (Sve-thice quasi redderes: *för tron, ja endast för trons skull*) &c., nec cum aliis *ἐς πίστιν* pro *ἐς πιστευοντας* *credentibus* posita esse asumere opus habemus; nam *ἐς πίστιν* significare videntur *ἰνα πιστευθῆ*, ut Joh. I: 7 *ἐς μαρτυρίαν* idem denotat ac *ἰνα μαρτυρησῆ*. Hanc jam in v. præced. propositam doctrinam, solam fidem in Jesum Christum, indeque prodeuntem animi vitæque emendationem, homines ad gratiam a Deo jam dudum in V. Testamento piis promissam ducere, nudamque externam legum Mosaicarum observantiam nullum verum Dei constituere cultum, nec peccatorem cum Deo reconciliare posse, Apostolus PAULUS jam verbis HABACUCI, alio quamvis sensu olim prolatis, *Iustus e fide sua vivet*, explicat atque confirmat. Conquestus namque erat vates hicce, ut antea notatum, de periculo a Chaldæis Reipublicæ Judaicæ imminente, Deumque, quem loquentem in scenam inducit, populo suo in angustiis constituto fiduciam Sibi, legibusque & monitis suis obedientiam præstandam, unicam evadendæ internecionis & pristinae reparandæ salutis conditionem proposuisse asseverat. Eodem itaque modo, Deus jam in N. Testamento ab omnibus, qui salutis æternæ participes fieri cupiant, tam fidem Evangelio Christi ejusque promissionibus habendam, quam obsequium sincerum præceptis suis exhibendum, h. e. probitatem mentis & voluntatis cum serio virtutis studio requirit; quibus eximii momenti Articulis, caput fere doctrinæ nostræ Christianæ absolvi, quis est qui non pia & gratisima mente agnoscat.

## §. 4.

---

\*) Vid. *N. Testamenti Græci* a J. B. KOPPE Edit, alt. (curavit C. F. AMMON) Vol. IV:um Gott, 1806, pag. 15.

## §. 4.

Oportet vero porro in sensum eorundem verborum iterum iterumque a S. Apostolo Gal. III: 11 & Hebr. X: 38 allatorum, paucis inquirere, quo genuina eorum significatio eo certius eruatur.

Quod itaque ad priorem illum locum attinet, observandum Apostolum PAULUM etiam hic opinionem Judæorum frivolum maximopere taxare, qua scil. sola legis Mosaicæ externa & servili observantia, sine ullo mentis & voluntatis emendandæ studio, gratiam Dei & remissionem peccatorum se adipisci posse autumabant. Itaque quo falsitas talis doctrinæ tanto clarius elucescat, in versu 6:0 citati capituli, per aptam omnino accommodationem, mentionem facit effati V. Testamenti, Gen. XV: 6, ubi de fide Abrahami agitur, additque in v. sequente 7:0 eos solos, qui eodem sincero erga Deum animo excitati & ducti sint, filios Abrahami genuinos Deoque probatos jure vocari, ceteros vero non item, licet ab Abrahamo oriundi, & legis Mosaicæ tenaces iisdem fruerentur beneficiis, quibus & antea Abrahamum cumulaverat Deus; hæcce vero beneficia, jam non solum Judæis contingere, verum etiam omnibus aliis quibuscunque gentibus, modo in Deum & Jesum Christum, quem miserat, credant. Deus nempe, cujus Spiritu Scriptores Sacros afflatos novimus (\*), jam dudum promissionem dederat Abrahamo, per illum v. cum illo (v. 9), h. e. ad illius exemplum, omnes gentes sine exceptione, gratiam favoremque Dei obtinere posse (\*\*). E contrario urget idem Apostolus, observationem legis, s. opera legis, *εργα νομῆς*, neminem beare s. felicem reddere posse, quin potius poenas gravissimas illis imminere, qui omnibus postulatis & præscriptis legis haud satisfacrent, vel ut verba Textus

\*) ἡ γραφή pr. *Scriptura*, pro *Auctore Scripturæ*; effectus pro *causa*.

\*\*\*) Conf. Gen. XII: 3. Vid. porro quæ in prooemio de accommodationibus in genere breviter attulimus.

tus valent: ὅτι κατὰ τὴν εἰσὴν; scriptum enim est: *maledictus quisque, qui non in omnibus permanet, quæ libro Legis comprehensa sunt, ut illa impleat* (\*). Quemadmodum etiam eodem ex capite clarum est per legem, ἐν νόμῳ, h. e. διὰ τὸ ἐργάζεσθαι νόμον, neminem coram Deo justificari, quoniam scriptum est: *Iustus e fide sua vivet*, h. e. ut antea jam rem exposuimus: *fides s. fiducia in Jesu Christo reposita, sola hominem Deo gratum reddit atque felicem*. Sunt nempe hæc verba ex HABACUCI Vaticiniis desumpta & ab Apostolo heic eundem in finem ac supra Rom. I: 17 accommodata, ad demonstrandum, quam inutilis & vana sola externa legis Mosaiicæ reverentia sit, nulla insuper accedente mentis atque voluntatis serâ emendatione.

Quod denique ad locum Hebr. X: 38 attinet, ubi eadem jamjam laudata verba ejusdem Prophetæ Cap. II: 4 excitat Apostolus, observandum S. PAULUM h. l. non proprie de fide in Christum loqui, quin potius effatum Propheticum sensu, quo illud olim Vates Hebræus protulit, de fiducia scil. immota justî in Deo promissisque ejus quibuscunque reposita, accipere. Exponit scil. PAULUS primum in Capite hocce X: o differentiam inter sacrificia prisca Judaica, & sacrificium illud multo pretiosius, quod Christus pro peccatis nostris obtulit, cui nempe soli vis miseros noxiosque peccatores salvandi adscribenda est; qua materia pertractata, ad præstantiam Religionis Christianæ, nec non gratiam singularem Dei, qua liberationis jam laudatæ participes facti sumus, exponendam pergit; quare & æquam & firmam mentis constantiam tanquam optimum, imo unicum, solatium in hujus vitæ ærumnis atque molestiis ferendis semper & ubique retinendam s'vadet. Notum enim est, quantis malis & persecutionibus temporibus Apostoli vexati fuerint Christiani, hi vero eorum in primis, qui

---

\*) Conf. Deuteron, XXVII: 26.

qui nomine *Hebræorum* s. *Judæo-Christianorum* vulgo veniunt; unde nec mirum multos eorum, Religione Christiana abdicata, ad avitum Israëliticum rediisse Dei cultum. Huic vero apostasiæ malo quo obviam iret Apostolus, v. 32 Christianos eo argumento, quod nempe antea jam graves valde persecutiones & calamitates, Religionis causa perpesi fuerint (\*), ad imperterritam in fide & religione perseverantiam exhortatur, probatque quam insipide & stolide agant, qui e multo majoribus elapsi calamitatibus desideratissimo liberationis tempore jam instante, a fide sua deficiant, vel ut verba Textus v. 37 valent: *ετι γαρ μικρον ὅσον ὅσον, ὁ ερχομενος ἔξει καὶ ἔ χρονιαι*, quæ verba, inverso quamvis ordine, ex Hab. II: 3, 4 allata, non tam probandi causa, quam potius ad animi sui, Dei & Religionis intimo amore ferventis, sensus exprimendos affert. Hinc porro v. 38 aserit *ὁ δε διμαχος εκ πιστεως ζησεται*, h. e. qui in Deum fiduciam suam collocat, hujusce fiduciæ præmia debita sine dubio reportabit; quo loco Apostolum jamjam imminens urbis Hierosolymitanæ excidium spectasse, satis probabile videtur; eorum licet sententiæ, qui per *ὁν ερχομενον Vespasianum* s. *Titum* indigitari opinantur, non adstipulemur, cum sine dubio fermo heic sit de ipso Christo tandem adfuturo, & Ecclesiæ suæ denique opitulaturo. Erat nimirum primorum Christianorum vulgaris satis opinio (\*\*), Eum everfis Hierosolymis, in terram rediturum, ad novum regnum spirituale constituendum, hancque monarchiam suam universalem per orbem omnem terrarum ad finem usque dierum propagandam & tuendam.

(\*) Respexit fortassis PAULUS ad primas persecutiones ecclesiæ Judaico-Christianæ Act. Cap. 8:0 commemoratas, in quibus ipse, ad Religionem Christianam nondum conversus, Inquisitoris supremi personam egerat. Ut varias alias primis Christi confessoribus illatas & heic significatas persecutiones taceam.

(\*\*) Videfis ECKERMAN *Theol. Beyträge* B. II: St. I, N.o 4.

*jatho: kts. A. J. Lagus.*